
PROGRAMMA
Qvô
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
BERNHARDUS Barnstorff/
Med. D. Prof. Publ. atqve Poliater,
ut
CUM RESURGENTE JESU CHRISTO
DOMINO atq; Salvatore Noſtro
ad eam ſimul vitam, qvæ DEO placet,
animi reviviſcant,
eâ qvâ fas eſt humanitate & officii ratione,
à ſingulis Academiæ Civibus
ſeriò Contendit.



Roſtochii,
Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.



I qvod festum in celebritate versatur, si lætitiæ affert materiam per omnes vitæ calamitosæ partes se longè lateqve diffundentem, si rituum solemnitate apud veteres quidem religionem velut illustravit atq; in externis majorem reddidit, præsens sanê festum Paschatos hoc nomine venire posse optimè censendum. Non quidem ab initiô mundi nomen paschæ hominibus innotuit, quippe sub egressũ demũ Israelitarũ ex Ægypto per Mosen â DEO divulgatum, principatum tamen tenet inter illa festa, quæ post sabbathum ex divinâ voluntate in populo DEI instituta sunt atqve celebrari cœperunt. Proximum namqve locum, si institutionem festorum spectes, à sabbato occupat, forsitan ex eô, quod sicut hominem initiò creatum DEUS in primo sabbatho respexit tanqvam ultimum creaturarum scopum, in cujus structura suâ jam acquiescere voluit, ita etiam ad quietem homines suos reducere voluerit, postqvam satis longè sub servitutis jugo sive inter homines sive inter diabolos ingemiscere coacti erant. In primâ creatione post hominem conditum nihil amplius desiderari poterat, unde homo aut magis reficeretur, aut ornaretur in his terris, ut adeò à creatione plurium rerum novarum DEUS tunc destitisse non sine gravi causâ legatur, omnibus jam rebus creatis sive in cœlo sive in terra in usum atqve voluptatem hominis velut amicè confluentibus. In liberatione verò ex Ægypto, cum pascha sanciretur, incipiebant modò Israelitæ ex servitute egredi, concomitantibus divinæ virtutis miraculis ad terrorem Ægyptiorum & internecionem Pharaonis, imò per multos adhuc annos præsentiam DEI mirabiliter adjutricem contestantibus, donec tandem ad plenam terræ promissæ possessionem pervenirent Israelitæ. Pascha tamen, quod est N. T., ad rationem Sabbati primi in Paradiso videtur propius accedere, qvod Salvator etiam optimus, laboribus suis jam exantlatis, in vitam iterum prodierit, nihil amplius habens, qvod ad redemptionem generis humani aut necessarium adhuc esset, aut magis recreare posset. Et sicut μεγίστη τῶν ἡμερῶν maxima dierum & ἑορτῶν ἑορτὴ Gregorio Nazianzeno

audit

audit, ita in Ecclesiâ potissimum Latina & Africana id præcipuè usu venit, ut qvi inter pentecosten & pascha ad fidem CHRISTI essent conversi; aut qvi infantes eô temporis intervallo lucem aspexissent, nisi periculum mortis esset, non prius qvàm vigiliâ vel pridie paschæ sacro baptismatis fonte abluerentur. Ita enim Tertullianus celeberrimus jam sub finem seculi II. scriptor libr. de Baptismo p. m. 711. *diem*, inquit, *Baptismo solemniorem pascha præstat, cum & passio DOMINI, in quam tingimur, adimpleta est:* Et infantes annotat Rhenanus ad Tertull. lib. de Coron. Milit. p. m. 433. *post pentecosten natos ad paschalem festum diem baptismo offerri solitos, exceptâ necessitate.* Qvæ opinio circa baptismi tempus adeò apud veteres invaluit, ut Siricius fere sub finem seculi IV præses Ecclesiæ Romanæ non sine gravi censura eos à se dimittat, qvi alio qvàm sive Paschatis sive pentecostes tempore baptismi ritum administraverant. Temeritatis accusat illos, nullâ prorsus autoritate nitentes in epist. ad Himerium Tarracon. Episc. *cum hoc sibi privilegium*, baptismum np. suscipiendi, *& apud* suam *& apud omnes Ecclesias Dominicum specialiter pascha* defenderet *cum sua pentecoste.* Neque prius aliter sentire desiit Ecclesia, quâm Seculo XII, ubi, si Ruperto fidem habemus, crescente hominum multitudine, qvi rebus sacris per baptismum plenius consecrandi erant, velut necessitate quadam in desvetudinẽ paulatim venit mos ille tâm inveteratus circa baptismum suscipiendum. Eqvidem si dicendum, qvod res est, non adeò videntur veteres sic collaudari posse, cum & ratione scripturæ & Apostolorum exemplis omninò destituantur, in eò tamen laudem merentur, qvod virtutem Resurrectionis JESU CHRISTI eò significantiùs sic exprimere voluerunt, unde ad omnem pariter salutem nos resuscitamur atq; regeneramur. Atqve eô sensu etiam Apostolus baptismum nostrum cum morte, sepultura atqve resurrectione JESU CHRISTI suaviter comparat, ut prorsus intelligamus, aliam nobis vivendi rationem post baptismum esse ineundam, postqvam ex morte peccatorum inde in vitam spiritûs resuscitati, renati atqve reduces facti sumus. *An ignoratis*, inquit Apostolus Rom. VI. 3 sq. *nos quotquot baptisati sumus in CHRISTUM JESUM, in mortem ejus baptisatos esse? Sepulti sumus igitur unà cum eô per baptismum in mortem, ut sicut suscitatus est CHRISTUS ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus,*

Poſtqvam Apoſtolus Evangelii virtutem atqve gratiam ad omnem, qvæ coram DEO valet, juſtitiam obtinendam, perſpicuê ſatis docuiſſet, oſtendit jam cap. VI, VII. & IIX. uſqve ad v. 14, qvalis ex Evangelio, ex tantâ illa gratiâ DEI, etiam renovationis fructus in nos redundet atqve redundare debeat ad verum ſanctitatis ſtudium. Neqve enim illa gratia DEI, qvæ peccati gravitatem multis modis excedit Rom. v. 20, ad carnis aliquam licentiam abuti oportet, ſed ſicut peccatis mortui ſumus v. 2., ita etiam ad aliam vitam, qvæ eſt ſpiritus, nos reſurexiſſe ſtatuit idem Apoſtolus. Argumentum itaqve primum, cur pietatem ſeqvi oporteat, in eô præcipuè poſitum eſſe graviſſimè judicat, qvod virtutem reſurgendi in baptiſmo etiam accepimus. Et qvantâ magnitudine non ſe illa vis ex omni parte ad vitæ pietatem explicat? Ecce! baptiſati ſumus in CHRISTUM JESUM. Qvid aliud inde intelligimus, qvàm qvod ad hunc JESUM noſtrum ſimus deſtinati, deſponſi atqve conſecrati tanqvam ad unicum ſalutis noſtræ Autorem, interceſſorem atqve DOMINUM, cujus factura ſumus in omnibus. Et ne alienum ipſum à nobis eſſe exiſtimemus, CHRISTUS dicitur, i.e. unctus, qui eandẽ refert naturam, qvam nos circumferimus, ut non ſine miſericordiâ, qvâ ipſe movetur, tentatus ſcil. nobiſcum in omnibus, cauſam noſtram agere credatur in cœlo qvàm optimè. Neqve juvandi virtute, quæ ipſi per naturam propria eſt, ullo tempore aut loco deſtituitur. Nam JESUS eſt, qui ipſe i.e. ſua autoritate, ſuis viribus, ſuisqve laboribus ſalutem humanam iterum per ſe peperit, reparavit atqve conſervat Matth. *I*. 21. Ebr. I. 3. c. XII. 2. In hujus jam mortem per baptismum immerſi ſumus, ut omnem mortis ejus vim in nos transferamus. Itaqve à conſpectu miſeriæ noſtræ ſic abducimur ad omnem ſpem auxilii, ab iniquitate ad pretioſiſſimum ſangvinem circa mortem CHRISTI, qvô expurgamur mundiſſimè, ab ira DEI ad infinitum ejus placamentũ, qvô ſumus reconciliati, à terrore conſcientiæ malæ ad omnem ejus requiem & conſolationis fundamentum, à morte ad vitam, à poteſtate ſatanæ ad liberationem, ab inferno ad cœlum. Ita glorioſè, mirificè atqve ſalutariter in mortem CHRISTI baptismus nos immiſit atqve abſcondidit, ut qvæ CHRISTI jam ſunt, qvæqve ejus morte acqviſita, nobis pleniſſimè per fidem imputentur. Tractamur enim in judicio DEI, qvamdiu in CHRISTO manemus, non

aliter

aliter ac si ipsi ita pro peccatis nostris pœnam mortis luissemus, dum, qvæ CHRITUS egit atqve passus est, non sui sed nostri causa in se suscepisse sponte jam sua ex scriptura intelligitur. Indeqve per mortem atqve justitiam CHRISTI omnis nobis ad liberationem via patet qvam latissimè, atqve jus datur, qvod postulare etiam per fidem oportet, qvâm liberrimè. Res tamen omnis, qvæ per baptismum fit, eô spectat, ut credamus, nos non amplius esse potestatis nostræ, sicut qvi semel mortuus est, non ad hujus vitæ vanitatem amplius qvicqvam confert aut valet; sed ut CHRISTO tanqvam DOMINO vivamus, fractâ jam omni in nobis peccati virtute. Atqve id etiam est, cujus notitiam habemus, aut habere necessariò oportet. *Ignoratisne?* inqvit Apostolus, non ac si ignorantiæ crimen ipsis vellet objicere, qvos jam omnis scientiæ genere abundare testatur Rom. XV. 14., sed interrogatione utitur, qvæ in Rhetorum scholis est freqventissima, qvaqve conscientiam eorum, qvæ jam tenentur, eò magis excitare atqve accendere nituntur, ut attentio rei sit alacrior, & assensus facilior. Multò ergò magis, dum ipsi conscii sumus tantæ bonitatis, qvam DEUS nobis fecit, oportet nos sanctitatis studiosos esse, qvia intellectus est norma actionum nostrarum, contra qvam qvi peccat, graviùs peccat; ita tamen agere non decet Christianum, qvi veritatem agnoscit, vim etiam nactus benè agendi in omnibus 2. Tim. 1. 7. Neqve tantum sicut mortui peccatorum imperium deposuimus in baptismo, liberati prorsus ab eorum jugo, sicut qvi legi mortuus est, ipsius jugum à se excussisse facile præsumitur Rom. VII. 4. Gal. II. 19., verum etiam unâ sepulti sumus cum CHRITO per baptismum in mortem, ut mortuos nos esse arbitremur eô magis peccatis. Nam qvi ita mortuus est, ut etiam sepeliatur, illum verè mortuum esse necesse erit, neqve amplius ipsi cum priori vitâ vel qvicqvam esse potest negotii, neqve curatur hominum manibus. Qvi adhuc defunctus supra terram hominum oculis exponitur, nondum vanitati, qvæ in terris est, per omnes sui partes subtractus esse dici potest, dum infirmitas atqve corruptio ejus spectaculum adhuc præbent omnibus miserabile, dumqve etiam superstites circa pompam ejus funebrem sæpius ita vani, arrogantes atqve superstitiosi esse solent, ut non minor etiam inde accedat ad vanitatem defuncti accessio. Sepultus vero rebus hujus mundi vanis planè jam nuncium misit, nulla

prorsus ratione illis amplius implicitus, quiescens potius â strepitu, â curis, â peccatis, qvæ homines calamitosè satis perturbant atq; inquinatè admodū corrumpunt. Itaq; peccatorum dominium in nobis penitus jam sublatum esse existimemus, dum etiam in illam mortem, ne amplius pareamus peccatis sicut mortui, per baptismum sepulti sumus. Ipse CHRISTUS cum sepeliretur, palàm significabatur, mortem ejus non fuisse simulatam, neq; qvicqvam ipsi restare rei cum peccatis, utpote qvæ jam essent expiata, deleta, abolita, ut nulla vis mali superesset ad incursionem iterum faciendam; ita nos etiam unà sepultos esse reputemus cum CHRISTO, ne dominium peccati, qvod jam est subversum, per voluntatem nostram in nos vires recolligat. Baptismus scilicet ætate Apostolorum peragebatur partim totius corporis immissione in aquam, qvæ adeò totum hominem sic inundabat, ut velut aquâ sepultus esse cerneretur, partim etiam per affusam aquam, quod interdum sive baptizandorum multitudo sive aliæ aut temporum aut personarum circumstantiæ necessariò videbantur requirere. Concludit ergo Apostolus ex primo illo baptismi ritu spiritualem nostram sepulturam, qua amicitiam, societatem, operam imò omnia peccatis sicut sepulti renunciamus, qvàqve sic etiam â peccatis in libertatem vindicati sumus, ut nullum jus, vim atqve mortis condemnationem in nos illa amplius sive edicere sive exercere vel ullo modo valeant. Sepulti enim sumus unà cum CHRISTO, h. e. quiescimus jam securi ab omni hostium insultu, pacem atque tranquillitatem animi undiqve in CHRISTO abundanter admodum habentes. Adeò quæ CHRISTI sunt, nobis imputantur ad justitiam, quietem & liberationem, sicut ipse factus est pro nobis peccatum atque maledictio 2. Cor. v. 21. Gal. III. 13. Adeò salutaris baptismus est, ut peccata demergat, suffocet, viresqve omnes mali sic dissolvat, nullo etiam metu mortis in terrorem fidelium remanente: Sicque absoluti sumus per baptismum peccatis, dum ita in similitudine mortis CHRISTI simul plantati h. e. inserti sumus sepulchro mortis, velut ipsi mortui essemus pro peccatis nostris: Atque in regnum gratiæ ita translati sumus, ubi ad aliam vitam, qvæ ex DEO est, respiravimus, ut de virtute in virtutem transeamus.

Resurgere scil. etiam oportet ad longè aliam vivendi consvetudinem, quàm quæ sub peccati potestate fuit. Ecce ipse CHRISTUS resurrexit ex mortuis! postqvam enim ipse tanquam FILIUS DEI, pro finitis tamen in se peccatis, infiniti pretii sanguinem omnem non sine exqvisitissimis doloribus profudisset, omni irâ DEI, quæ intolerabilis aliàs est creaturæ, in ipsum excandescente, non amplius detineri potuit à morte, qvippe cujus præsidium jam erat disturbatum, stimulus evulsus, omneqve regnum penitus disjectum. In vitam ergò rediit Servator virtute ipse suâ per gloriam DEI Patris, h. e. per illam, qvam etiam ceu æternam, infinitam atque prorsus æqualem secundum humanam naturam à DEO Patre accepit Joh. V, 26. sq. c. XVII, 5. Sicut Pater anteà Filium abjecisse ad omnem contemtum videbatur, ipse etiam simul contemtui à mundo habitus Joh. V. 23. ita jam in eâ gloriâ Patris vitam Filius resumsit, ut Patris etiam inde gloria major iterum fieret apud creaturas, h.e. omni animi submissione magnificè agnosceretur atq; deprædicaretur Conf. Phil. II. 9 seqq. At verò CHRISTUS est caput Ecclesiæ Eph. IV. 15. sq. Nos qvi CHRISTI nomen præferimus, membra ejus æstimamur esse in uno corpore. Annon ergò membra sequi oportet rationem, ductum atqve conditionem Capitis sui, cum quô cohærent? Qvalia membra illa, quæ in contrarium abeunt, qvæqve capite resurgente in mortuis remanent? Putrida illa sunt, spuria nomineque membri planê indigna, tanquam resecanda à corporis societate. Oportet ergô nos omninô in novitate vitæ ambulare, ne absurdi prorsus esse videamur cum nomine nostro Christiano, neve baptismum suo fine excidere patiamur. Alia, quæ nobis enascitur vita per baptismum, alios etiam mores postulat, quibus quæ sint vires beni agendi, significatum itur. Non apparuit amplius, postquam sepulchro egressus esset Servator, corpore aut servili aut mortali, assumtô jam glorioso, ita neqve nos priorem, qvæ est carnis corruptæ, sed planè novam vitæ conditionem & DEI & hominum oculis ingeramus post baptismum. Præteriti peccati jam pœnam æstimamur dedisse in baptismo, & à præsenti pariter atq; futuro, dum non amplius peccare reputamur, immunes nos pronunciat justitia DEI, qvæ est in

sangui-

ſangvine JESU CHRISTI nobis in æternum reconciliata. Finem ergò faciamus peccandi neceſſe eſt, deſiſtentes ſicà peccatis, ſicut mortui peccare deſinunt. Qvare, *Cives optimi*, id operam demus, ut ſicut gaudemus CHRISTUM verè ſurrexiſſe ex mortuis, ſimul etiã cum ipſo liberati vinculis mortis ad eam vitam ſurgamus, qvæ in pietatis ſtudiis animum occupet & ſollicitum & circumſpectum & facilem. Patrem jam habemus in cœlis fidelem, dum promiſit, & juſtum dum ſemel in ſangvine Filii peccatorum pœnam ſumſit, ut peccata nobis pœnitentibus remittat, atqve expurget nos ab omni iniquitate 1. Joh. 1. 9. Eja accedamus hunc Patrem omnis miſericordiæ vero fidei amplexu tanqvam reſuſcitati ſemel ex mortuis atque in novæ vitæ operibus laudabilider induſtrii. *Benedictus interim ſit DEUS Pater DOMINI noſtri JESU CHRISTI, qvi ſecundum multitudinem miſericordiæ ſuæ regeneravit nos ad ſpem vivam per reſurrectionem JESU CHRISTI ex mortuis.*

1. Petr. 1. 3. Valete.

P. P. Sub Sigillo Rectoratus Academiæ Roſtochienſis Anno CHRISTI 1697. d. 4. April.

